



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

19. Qualiter consumatur vacatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

gesimum diem post factam resignationem, non datur duplex vacatio, una ex resignatione, altera ex obitu resignantis, sed una tantum per obitum. Lott. l. 3. q. 15. n. 20. citans Sarnen. in reg. 18. Cancell. Seu in reg. de 20. seu de infirmis. q. 35. Put. decis. 105. n. 2. l. 2. sed neque in hoc casu dici posse, dari resignationem unam veram, nempe per resignationem, & alteram fictam ex principis decreto; nempe per obitum talis resignantis ante vigesimum diem, probat *ibid.* Lott. a. n. 9. ex eo, quod impossibile sit non tantum in naturalibus, sed & civilibus cum fictione (quæ nullum habet aliud subiectum, quam assumptum indubitata falsitatis pro veritate, ut liquet ex ejus definitione apud Bart. in l. *stis*, qui pro emptore. n. 21. & Jason *ibid.* n. 168. de *usucap.*) concurrere posse ipsam veritatem; adeoque ut Lott. *nu.* 14. si in hoc casu sustineatur actus resignationis, adeoque ex ea secuta vera vacatio, non datur terminus habilis pro inducenda fictione vacationis per obitum; cum fictio, tamen contra veritatem intendatur perpetuo, versetur nihilominus circa possibilita, ut Alciat. de *presumpt.* p. 1. in principio. n. 2. & Menoch. *tr. cod.* q. 8. n. 7. & 32. vide de his pluribus Lott. l. 6. a. nu. 30. & dicenda à nobis infra.

3. Sic ex obitu commendarii etiam perpetui (tamen in perpetuo concedatur jus percipiendi redditus, illosque vendendi in usus proprios, & sic videatur commenda hæc fortiri vim provisionis; & licet videatur adhuc titulus imperfectus, imperfectio tamen illa non consideretur respectu plenitudinis ipsius beneficii, quod jam detinetur ab eo ex titulo Canonico, sed respectu cuiusdam plenioris provisionis retentæ in mente Papæ commendantis beneficium. Lott. l. 3. q. 8. n. 126. & 128.) aut aliàs ex cessatione commenda non inducitur nova seu secunda vacatio de jure, sed antiqua quasi reviviscit. Lott. l. c. n. 123. & nu. 91. ubi: quod, quamvis beneficium commendatum per mortem commendarii ita vacare censeatur, ut impetrari possit, tamen quod pertinet ad personam commendarii id necessario referendum est ad vacationem de facto distinctam à vacatione de jure, quæ semper eadem est, quæ prius; citat pro hoc Put. *decis.* 22. nu. 4. & per tot. l. 1. quia tamen hæc vacatio juris ut prius respectu ipsius tituli conservatur, simulque datur ex persona commendarii vacatio de facto; per hoc non excluditur, quodominus ex cessatione ipsius commenda perpetua jam resultet vacatio solida, id est, tam de jure, quam de facto simul. Lott. *cit.* n. 123. Verum de hoc quoque alibi.

Questio 19. Qualiter consumatur vacatio?

1. Respondeo primo: non consumitur per provisionem in formâ *dignum* ante examen, & approbationem, seu executionem. Lott. l. 3. q. 8. n. 134. Tond. p. 1. c. 87. n. 21. & constat ex dictis paulo ante.

2. Respondeo secundo: neque consumitur per provisionem de facto, hoc est, illegitimam, & de jure nullam. Lott. l. 3. q. 20. n. 119. sic etiam non consumitur vacationem per presentationem, etiam subsecuta institutione (idem est de collatione) contra mentem fundatoris tradit Tond. *loc. cit.* n. 20. quidquid sit de eo, ut ibi Tond. num. cesset per talem provisionem vacatio in ordine ad tollendam reservationem. Sic etiam per provisionem apostolicam, v. g. factam per legatum ipso jure nullam, non consumitur vacatio. Tond. *loc. cit.* n. 23.

3. Respondeo tertio: neque per legitimam, seu

collationem de jure necdum acceptatam (idem est de electione ante confirmationem & presentationem ante institutionem, ut constat ex dictis paulo ante) sed, tum demum, ubi est acceptata collatio. Lott. l. 3. q. 14. n. 61. & plenius l. *cod. q. 1. n. 19.* Gonz. gl. 15. §. 2. n. 31. idque etiam ante capram possessionem. Gonz. *ibid.* citans Gomez. *ad reg. de triennali. q. 3. n. 2.* & Simonet. *de reserv. q. 55.* Put. *decis.* 146. n. 4. l. 2. & c. Item ante literarum expeditionem (etiam, dum ante eam moritur provisus) expirat prior vacatio per signaturam supplicationis (modò tamen subsecuta sit acceptatio, ut monet Lott. mox citand. n. 19. & seq.) Cum per hanc, tanquam Papæ rescriptum gratia sit perfecta. Lott. l. 3. q. 1. n. 16. citans pro hoc n. 18. Mand. *ad reg. 27. q. 13. n. 4.* Simonet. *loc. cit.* n. 11. Garc. p. 4. l. 2. n. 14. & c. accidens sic perpetuo sensisse Rotam, est Cancellaria opinetur contrarium. Gonz. gl. 15. §. 2. n. 32. subdens tamen n. 33. hæc intelligenda, quando supplicatio est registrata, & parti tradita; eò quod prius non detur jus aliquod considerabile quaesitum, & de facili possit talis supplicatio signata lacerari; citat pro hoc Gomez. *ad reg. de non tollendo jure quas. q. 20. in fine.* Paris. *de resign. & c.* & quidem expirat post dictam signaturam ante expeditas literas prior vacatio cum omni effectu, etiam respectu vinculi reservationis aut affectionis prius injecti beneficio. Lott. *loc. cit.* n. 17. ita ut, si provisus à sede Apostolica de beneficio reservato post signaturam & registratam supplicam decedat extra curiam in mense ordinario, possit Ordinarius collator de illo beneficio disponere. Gonz. *loc. cit.* n. 34. juxta dicta ab eod. gl. 15. §. 1. n. 34. Secus tamen dicendum, nimirum vacationem non consumi ex tali rescripto seu signaturâ, etiam securâ acceptatione & registratâ supplicâ, si in supplicatione (ut fieri solet, quando rescribitur, etiam pro præsentate in curia) adjecta esset clausula: & committatur in formâ *dignum*, live dum rescriptum esset in forma *dignum*, Lott. l. 3. q. 8. n. 141. citans Bellam. *decis.* 608.

4. Respondeo quarto: vacationem non consumit per commendationem beneficii. Gonz. gl. 15. §. 2. n. 20. inferitur & constat ex dictis q. *precedente.*

5. Respondeo quinto: per unionem beneficii cum alio validam consumitur, seu extinguitur precedens vacatio, quin & tollitur in futurum. Lott. l. 3. q. 8. n. 85. & 86. per unionem siquidem ingreditur vacatio, & in consequens collatio, ita ut unioni nihil magis repugnet, quam suppositio status collativi. Lott. l. 1. q. 28. n. 164. & unitum beneficium nunquam dicitur vacare. Gonz. gl. 15. §. 7. n. 7. sed neque, si semel facta validè unio dissolvatur denuo, reviviscit prior beneficii vacatio, quæ vacabat ante unionem factam, utpote quæ jam semel consumpta est in perpetuum, non secus ac ipsum beneficium unitum absolute deductum ab esse ad non esse per dictam unionem extinctivam tituli beneficii. Tond. *cit.* n. 24. Lott. *cit.* q. 8. n. 88. sed quemadmodum per dictam dissolutionem unionis factæ in perpetuum confurgit novum, sed aliud beneficium, ut Felin. in c. *cum accessissent. de consuet.* n. 33. & auctores communiter in clem. *ultim. de rescrip.* Lott. l. 2. q. 8. n. 88. ita etiam confurgit nova ejus vacatio: contra, suppositâ & declaratâ nullitate dictæ unionis, perseverat semper prior seu antiqua vacatio. Gonz. gl. 15. §. 2. nu. 79. Lott. l. 3. q. 8. nu. 87. Tond. p. 1. c. 87. nu. 24. citans Seraph. *decis.* 1309. n. 2. sic quoque per unionem seu suppressionem beneficii, quæ non est in perpetuum

peritum, adeoque non extinctiva tituli, uti non extinguitur penitus beneficium, ita nec prior ejus vacatio; unde per dissolutionem unionis, seu revocationem talis suppressionis non creatur novum beneficium; ita nec nova consurgit ejus vacatio, sed prior potius, hoc sublato suppressionis temporalis impedimento, reviviscit: videtur manifeste inferri ex iis, quæ tradit Lott. l. 2. q. 8. n. 85.

Questio 20. In specie quâmdiu duret, seu per quid consumatur vacatio Sedis Episcopalis seu Abbatialis?

Respondeo: quamvis de jure communi desinat vacare per confirmationem, institutionem, seu provisionem à sede Apostolica factam. Gonz. gl. 15. §. 2. n. 80. citans gl. in clem. 1. ut lite pend. v. collatio. Pavin. de off. & post. cap. sede vac. prælib. 7. n. 16. Felin. in c. cum Bertholdus. de rejudicat. n. 3. &c. ita ut per confirmationem, vel provisionem papalem acquiratur exercitium jurisdictionis ante apprehensionem possessionis. Gonz. ibid. n. 81. citans gl. communiter receptam in c. penult. de præb. in 6. v. collatio. Balsium. de elect. p. 3. c. 44. n. 4. Abb. in c. transmissum. de elect. nu. 2. & 3. hodie tamen non cessat dicta vacatio, donec literæ confirmationis, institutionis, aut provisionis Apostolicæ sint expeditæ & præsentatæ capitulo, seu conventui, cujus prælati sedes vacabat, ut expresse disponitur per extrav. injuncta. de elect. inter communes. Gonz. loc. cit. nu. 83. citans Rebuff. in pr. de Simon. resign. n. 31. & 40. ac nu. 84. subjungens juxta hæc debere intelligi DD. dicentes, quod literæ debeant esse expeditæ, ut non dicantur Ecclesiæ vacare, ac Episcopus possit administrare, licet de præsentatione literarum mentionem non faciant: licet enim simpliciter loquantur, quod nulla sit necessaria expeditio literarum, non tamen per hoc excludant transportationem, ostensionem, & præsentationem literarum, ex quo ad id probandum allegant cit. extrav. injuncta, quæ decretum irritans continet, & graves penas non solum contra utentes jurisdictione, sed etiam contra capitulum, & conventum admittentem ad possessionem, seu jurisdictionis executionem ante dictarum literarum præsentationem: sed de his plenius alibi, ubi de electi & confirmati potestate.

Questio 21. An, & qualiter vacent beneficia manualia & regularia?

Respondeo: beneficia manualia vacare per obitum: item vacare posse per resignationem, tradit Paris. l. 11. q. 3. n. 93. Vacare item ipso jure per amotionem seu revocationem ad autum conferentis illa, tradit ibid. Paris. & Gonz. gl. 15. num. 96. sicut & vacare beneficium de cetero non manuale per obitum Papæ, dum is contulit illud ad beneplacitum suum, tradit ibid. Gonz. nu. 93. Et beneficium aliàs ex natura suâ perpetuum collatum per Papam ad certum tempus, vacare eo ipso termino elapso, asserit num. 94. Veruntamen in manualibus uti non datur verus titulus, ita non dari vacationem astruit Card. de Luca. de benef. d. 96. n. 18. citans pro hoc Greg. decis. 48. num. 5. & Rot. decis. 245. n. 3. p. 6. recent. quod tamen ipsum limitat n. 19. dum ait, intelligendum de vacatione vera & propria ad effectus juris, illum præsertim reservationis vel affectionis; de cetero namque improprie, ac largo modo ea dici vacare de facto per

per mortem naturalem vel civilem, vel per remotionem.

Questio 22. An, & qualiter vacet beneficium de mensa, beneficium unitum, & beneficium Ecclesiæ non numerata?

1. **R**espondeo ad primum: beneficia de mensa non sunt vacabilia, seu non dicuntur vacare, Lott. l. 3. q. 8. n. 88. citans gl. communiter receptam in Clem. unicam. de suppl. negl. prælator. & ibi Imol. n. 42. Card. n. 5. Vital. n. 101. & AA. passim. Gonz. gl. 5. §. 6. n. 64. & §. 7. n. 21. And. Vallens. de benef. l. 3. tit. 12. n. 2. ubi: quod beneficium vacare per obitum, fallat in iis beneficiis, quæ sunt mensæ prælati, vel dignitatis, vel capituli annexa, &c. Quia illa non vacant per mortem eorum, qui illis inserviunt: nam licet illis fructus concedantur, non sunt tamen proprie illorum Rectores & beneficiarii, sed veluti usufructuarii; quibus proinde mortuis ejusmodi beneficia tanquam usus fructus mensæ, cui unita sunt, consolidantur. Porro quæ dicantur proprie beneficia de mensa Prælatorum, Capitulorum, vel singularum dignitatum & præbendarum, vide apud gl. in Clem. unic. de excess. prælat. v. ad mensam.

2. Respondeo ad secundum: beneficium unitum nunquam dicitur vacare, Gonz. cit. §. 7. n. 7. citans Gomef. ad reg. de triennali. q. 8. n. 2. Paris. cons. 31. n. 10. vol. 4. Mand. ad reg. de infirmis. q. 10. n. 2. quod intelligendum de unito in perpetuum; quippe hoc mediante unione definit esse, seu ejus titulus extinguitur. Gomef. ibid. à n. 2. de quo nos alibi: de unitis verò ad tempus, siue unione non extinctivâ titulus dictum est supra, quod dissolutâ unione pergant vacare vacatione antiquâ. Stante autem illâ unione temporali, non videntur proprie dici posse vacare, nisi ad summum vacante principali beneficio, cui accessoriè unita, seu vacatione vacantis illius beneficii principalis.

3. Respondeo ad tertium: beneficia seu præbendæ Ecclesiæ receptivæ, seu non numeratæ (id est, in qua non est certus præbendarum numerus, sed secundum securitatem supercrecentiam beneficiarii crescunt vel decrescunt. Gomef. loco paulo post citando. n. 1.) Et si fiat vera beneficia, ut Gomef. ibid. n. 2. non sunt vacabiles. Lott. loc. cit. n. 82. citans c. dilecto. de præb. &c. ex parte. de concess. præb. Felin. in c. cum accessissent. n. 3. Gomef. gl. 15. §. 2. n. 19. & gl. 9. §. 3. n. 10. ubi: beneficia in Ecclesiis non numeratis nunquam vacant; sed confestim ut titularius decedit, supprimuntur, expirant, cessant, & esse desinunt juxta Tex. c. dilecto. de præb. & ibi AA. communiter, & in specie Imola. n. 7. Butrio. n. 8. Abb. n. 8.

Questio 23. Quâmdiu vacare possint aut debeant beneficia?

Respondeo primò: Ecclesiæ Cathedrales & regulares ultra trimestre vacare non debent; alia autem prælaturæ, dignitates & beneficia ad semestre, quod tempus eorum provisioni concessum est, c. 2. concess. præb. vacare possunt. Laym. ad c. ne pro defectu. de elect. n. 1. ubi etiam rationem hujus discriminis assignat; nimirum, quod beneficiarii, etiam Ecclesiarum collegiarum Prælati, spectato jure communi, non exercent jurisdictionem in Clericos, sed ea Episcopo competit; at verò regulares prælati, tametsi excepti non sint; jurisdictionem Ordinarium & generalem exercent